



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de encomio Formicarum, in quo ingenia, mores, & tota illarum
quasi Politia describitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

doctorum uirorum, qui de omnibus gentibus bene meriti sunt, genuit. Cumq; nomē Franciū in multis gentibus cōmune fuerit, hae laudes ad alias nationes etiā aliqua ex parte pertinent. Itaq; opto, ut alāt mutuā inter nationes beneuolentiam, nō accendāt odia, quae debent abesse à Germanis, quos ipsa appellatio Germanitatis, cum ad candorem, tum ad fraternū amorem adhortatur. Dixi.

ENCOMIUM FORMICARVM

scriptum ab Erasmo Ebnero.



Nemo in hoc cœtu dixit unquam, quantum equidem iudicare possum, cui perinde beneuolentia uestra, atq; mihi opus esset, non modò quia hæc ætas mea singulari favore confirmanda, & adiuuanda est, sed etiam quia argumentum adfero, quod etiamsi nouitate placere possit, tamen ita est exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alij res gestas clarissimorum Imperatorum recitarunt, & tum honestè facta summorum hominum, dicendo ornauerunt, tum aut populorum, aut Tyrannorum turpiter facta grauisimè uituperauerunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tantis

causis, infirmitate uirium humilius argumentum
 querere coactus sum. Qua de re dum aliquot dies
 delibero, dumq; reputo quas res exiguas laudaue-
 rint ueteres scriptores, à Luciano uideo muscam,
 à Virgilio apes mirificè ornatas esse. Cum igitur
 mihi honestum esse putarem, ueterū exēpla sequi,
 formicas sumpsi laudādas. Neq; nullū operæ pre-
 ciū esse iudico in tāta naturæ uarietate hæc minu-
 ta animātia cōtemplari. Etenim nō modò Ethnici
 scriptores dignā hāc materiā in qua elaborarent
 putauerunt, sed etiā principes Christianæ doctri-
 næ, mētionē paruuarum in natura rerum delectari
 uidētur. Christus iubet nos passerēs intueri: Solo
 mon præcipit nō modò contemplari formicas, sed
 etiā nos ad eas tanquam in ludum discendi causa
 mittit. Quid cōmemorem quā multa animantia
 Basilius diligētissimè descripserit, & Basiliū se-
 cutus Ambrosius, eadem animantium historiam in
 enarratione operum sex dierum penè ad uerbum
 recēset, docetq; in illis proposita nobis esse à deo,
 & tanquam picta plurimarum uirtutum simula-
 chra, quæ nos officij nostri admonerent. Turpissi-
 mum est enim homini tam longè à sua natura de-
 generare, ut à bestijs etiam uirtute superetur.

Paruarum re-
 rum illustres
 imagines,

Non igitur inutile uidebatur ingenia, moresq;
 et totam quasi πολιτείαν formicarum describere,

Cc quod

quod inde plurima pulcherrimarum uirtutum ex-
 xempla, et uerè, quod aiunt Græci *μουσεια δ' ἔργα*
θεῶν capere liceat. Videte autem quātum mea me
 fefellerit opinio. Quod enim argumenti genus ar-
 bitrabar propter tenuitatem sine magno negotio
 exponi et perpoliri posse, id in experiēdo cogno-
 ui lōgè secus esse. Cōperi enim nō mediocris arti-
 ficis esse, honore uerborū res exiles ornare ac il-
 lustrare. Quāquā igitur sentiebam me suscepto
 oneri imparē fore, tamē quoniā non ad ingenij sa-
 mā, sed exercēdi styli causa suscepā, desistere no-
 lui, sed peregrī fabulam quā inceperā. Quēso igitur
 tur uos, ut pro humanitate uestra me benigne au-
 diatis, quod si nulla alia res, tamen scholæ consue-
 tudo à uobis impetrare debet, et si suā laudem ho-
 nestus conatus meretur, non indigni saure iudi-
 cādi sumus honestissimo argumento suscepto, etiā
 si rei, quam insūtuimus, difficultate uicti sumus.
 Sed ut Philosophi in descriptione animātiū, pri-
 mūm de cuiusq; procreatione disputant, ita et no-
 bis formicarum ortus, inde usq; ab ouo, ut aiunt,
 repetendus erit. Verūm historia formicarum lōgō
 or Iliade futura sit, si omnia cōmemorare uelimus:
 sed hoc ad earū laudem magnopere pertinere exi-
 stimauimus, quod cum tam multa diuinitatis ue-
 stigia in eis extant, intelligi possit, eas non sine
 certo

De ortu formi-
 carum diuino.

certo Dei cōsilio natus esse, multoq; uerius quàm
Poeticos heroes a Ioue summo ducere, ut
Poëta inquit. Quomodo enim in hac terrena natu-
ra futuri præsciētia sine diuina ui existere potest?
Nō hāc tātā haberet hic uermiculus industriā, lō-
gē alienā à brutorum captu, nulla gregalium noti-
cia, nulla mutua collocutio inter eas esset, nulla
nosset temporum discrimina, nisi mentem Deus
indidisset tantarum rerum, tamq; uariarum capa-
cē. Etenim sapere, meminisse præterita, cōsequen-
tia cernere, futura præuidere, ne homines qui-
dem, nisi diuinitus commoti, excitatiq;, possunt.

Quis enim, quamuis ingeniosus, sine dei ope, ua-
rios motus stellarum, magnitudineq;, molem ter-
ræ, et alia multa deprehendisset? Multò minus igitur
bestiæ ratiocinari, et futura uidere, et animad-
uertere præsentia, nisi Dei beneficio possunt. Ne-
que enim hæc aliunde, quàm à Deo in terrenam
naturam propagantur. Habent igitur formicæ nō
dubium generis sui authorem Deum, cuius rei id
quoq; signum esse intelligi potest: Nam cum sa-
cræ literæ mittāt nos ad formicas, tanquā ad Ma-
gistros, profectò significant hoc cōsilio à Deo fa-
brefactas, et his ingenij dotibus instructas esse, ut
docere nos utilia possent. Vt enim nullus pater fa-
miliæ, si sapiat, filium docendū tradit ei, cuius nō

Formicæ nostri
doctores.

Cc ij probat

probat eruditionem: ita credibile est, nec diuinum spiritum nos ad huiusmodi Magistros mittere, qui non doceant cœlestia. Neesse est igitur eas artes, quas nobis istæ discēdas proponunt, diuinitus in sensibus ac natura formicarum scriptas atque sculptas esse, uereq; esse in eis, ut Poëta ait: partem aliquam diuinæ mentis, et haustus æthereos. Dixi hæctenus de formicarum ortu ac nobilitate, quæ non paruā cōmendationē habet: Adfert enim nobilitas nō modò in hominibus, sed etiam pecunibus, quædā uirtutis semina, quæ à parentum natura in posteros propagantur. Nunc de ingenij ac moribus, deq; omni uite consuetudine illarum dicendum est. Atq; hæc pars orationis, quid aliud habet, quàm honestissimam quandam formam rectè uiuendi? Nemo Philosophorum non tradidit bene uiuendi præcepta. Sed huius insecti historia, quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non, quid deceat, melius Chrysippo et Crantore dicit. Quis non hæc singularis prudentiæ diligentiaq; indefesse opera esse dicat? Colligendi uictus tēpora intelligunt, proinde aceruum frumenti in messe cōportant, cōdunt, cōparcuntq; in hyemem, præuidēt enim hyeme in uacuis agris frustra se pabulū quæ situras esse. Onera morsu gerunt, lōgema iora, quàm pro corporis portione ferre posse credibile

Ingenium ac
mores illarum,

Colligendi uictus
tēpora,
& modus,

dibile sit. Quædam grandiora protrudunt, tota corporis molle obnixæ: semina priusquã condant, arrodunt, ne rursus exeant in fruges è terra, madefacta imbre proferunt atq; siccant. Nec noctu, plena luna uacua sunt: vsq; adeò turpe ducunt feriari, ut nullum sibi tempus idoneum labori perire sinant. Interlunio cessant ab opere, si quæ in itinere ferendis granis grauata sunt, gregales norunt, et quoniam sæpe tanquã ex diuersis ciuitatibus in eadem uia conueniunt, in unum aliquem locum omnes uniuersum comeatum cõportant, ibiq; sua signa recognoscunt, ibi uelut exercitum recedentes, agmina separât, & suum cuiq; auhendum tradunt. Obuia inter se quasi colloquuntur, ac percontantur, donec agnoscant singulæ suos ciues.

Nulla tã sapienter cõstituta ciuitas fuit unquã, quæ ad hanc formicarum politiã conferri possit. Nam cum nullum urbibus uenenum nocetius sit, quàm ocium, uidetis hanc pestem procul ab hoc animalculo abesse. Nunquam ardentissimi æstus à labore absterrent, nõ noctu uacua sunt, quod tempus alijs animalibus natura ad quietem dedit. Nõ magnitudine itinerum, aut asperitate uiarum defatigari se patiuntur. Sed sæpe ex longinquo frumentum conuehendum est. Sæpe per cõfragosa saxa, magna ui grana in aduersos montes protrudenda

denda sunt. Ita omnes difficultates, non uirtutum magnitudo, non corporis moles, sed animi robur, & industria superat, ut adpareat, hic etiam uerum esse id, quod est apud Historicum quendam:

Nihil tam altum à natura constitutum esse, quo non possit uirtus eniti. Non dubium est autem, quomodo ut omnia ex ocio uitia nascuntur, ita labor plerasque pulcherrimas uirtutes gignat. Proinde nec ceteræ uirtutes desunt huic generi.

Iusticia,

Quis enim non uidet singularem iusticie intellectum in eis esse? quia certos dies constituunt recognoscendis oneribus, ut cuique agmini suum tenere sine iniuria liceat. Facile est enim ab alieno abstinere his, quibus in sua uirtute industriaque spes posita est: sed illi qui cum per luxum atque libidines sua effuderant, postea rationem ineunt, quomodo de alieno heluentur. Hinc in ciuitatibus nouæ tabule flagitate, bella ciuilia, & innumerabilia alia mala, quæ ciuium discordia parit, nata sunt.

Parsimonia,

Quid autem de parsimonia formicarum dicam, quæ in hoc genere maximè cernitur? Non enim tantum in præsens sibi consulunt, sed comparant, et prospiciunt sibi in futurum: quæ uirtus cum per sese magna sit, et mirabilis, tamè hoc etiã gratior esse debet omnibus, quod iusticie ueluti custos est. Neque enim tolerare infinitos illos sumptus sine alieno

alieno decoctores possunt, sed longè dignissima bo-
no ciue uirtus est, in cōmune querere, & commu-
nia bona summa diligentia augete. Quæ res enim
alia omnibus ciuitatibus exitio est, quã quod pri-
uata bona, publicis utilitatibus pleriq; omnes an-
teferunt? Atqui ita sentire nos oportuit, quoniã
patriæ salute, nostra salus continetur, & quoniã
am ipsi à patria in qua nati, educati, ad humanita-
tem, & religionem instituti sumus, cuius legibus
uitam nostram ac fortunas defendimus, tã multa
beneficia accepimus, æquum esse, ut nos etiã illius
utilitates pro uirili iuuemus, imò quidquid ara-
mus, quidquid serimus, quidquid metimus, ad pa-
triæ utilitatē referendū esse existimemus. Deniq;
illius salutem, ac tranquillitatē antiquiorē digni-
tate, ac salute nostra, ducamus. Hanc uirtutē licet
in formicis cernere ad cōmunem usum, assiduas o-
peras conferentibus. Videtis quã multarum uir-
tutum exempla nobis formicæ proponant, ad quã
imagine si maximam hominum partem contule-
ris, quotus quis que erit his uirtutibus præditus?
Bona pars uoluptatibus atq; ocio dediti, nulla de-
re in omni uita sunt solliciti, quã de cōuiuio ad-
parãdo, aut alijs similibus uoluptatibus cōparan-
dis. Seneca scribit, Pacuuium quendam prætorem
in Syria fuisse, qui quotidie splendide conuiuatus,
Cc iij cum

Senece de quos-
dam Pacuio
conuiuante.

cū se copioso uino de die ingurgitasset, solitus si-
ueſperi ſunus ſibi adparare, accerſere tybices,
qui ſunebres modos canerēt, & hoc genus alia cu-
rare ad ſuneris ſpeciē reſentandā. A cœna cū
iā ſuſtinere ſe ebrius non poſſet, iubebat ſe lectulo
impoſitum, tanquā ſunus inferri in cubiculum, et
cantari ſunebres modos: *Βεβιωται Βεβιωται*. Iudicabat enim eum demum diem præclare ſe uixiſſe,
quo ita eſſet conuiuatus: nec ducebat eſſe uitam ad-
pellandā, cum non liceret eiſmodi uoluptatibus
perfrui. Quis non ſtatuat plus eſſe mentis formi-
cæ, quàm huic Pacuio, qui uitā homini hanc u-
nam ad rem, ad pecudum uoluptates perfruendas,
datam eſſe credidit? Et quamuis exemplum Pacu-
uij in ſunere faciendo nō multi imitentur, dogma
tamen hoc præclarum maxima pars hominū pro-
fitetur, qui nihil in omni uita dignum homine ſu-
ſcipiunt ac gerunt, ſed in ocio, & inter pocula te-
mulenti ætatem exigunt. Sed quoniā ſanorum ho-
minum iudicio, uentres iſti non homines, ſed uerius
monſtra hominum ſunt, deſino formicas cū his
cōferre, quos nō modo formicarum exempla, ſed
ne quidem publicæ leges ad ſanitatē reuocare
poſſunt. Nulla autem inter omnes laudes formica-
rum amplior eſſe mihi uidetur, quàm ea, quæ apud
Solomonem eſt: *Is enim inquit, formicas non
modo*

Solomon.

modò stultos, sed sapientes anteire prudentia. Neq; ego, nisi tam grauem authorem haberem, au-
derem hoc paradoxum inter doctissimos homines
dicere. Sed quia formicarum laudes colligere insti-
tui, non fuit hæc prætereunda, præsertim cum es-
set amplissima. Quid audio? omnibus Philosofo-
rum scholis, omnibus Rerumpu. gubernatoribus,
deniq; omnibus sapientibus uiris, formicæ præfe-
runtur. Hoc planè est iuxta prouerbium, Formi-
ca camelus. Et cum non possim hoc loco omnes
causas, cur ita scripserit Solomon, recitare, sunt
enim multe, quas ex ipsius Christianæ doctrinæ
fontibus longè repetere oporteret, tamen unam
hanc commemorandam esse duxi.

Tanta desidia est humani animi, ita penitus
haeret in nostris medullis uoluptatum atq; ocij
amor, ut nulla tanta sapientia sit, quæ non uolu-
ptatum illecebris uinci, & expugnari possit, ut
industriam, laboremq; remittat. Quod cum etiam
Poëta animaduertissent, sinxerunt Herculem tot
domitorem monstrorum, Omphales amore ca-
ptum, muliebri ueste, in gynecio tenentem colum.
Atq; hoc illi de summo uiro fingeant, ut signifi-
carent nullam tantam esse uim animi, quæ non
frangi ac debilitari blanditijs uoluptatis posset.
Compara uerò mihi formicas ad hunc Herculem,

Animi humani
desidia in Her-
cule notata.

aut si mauis ad Alexandrum, harum industriose
 dilitatemq; nulla res unquam retardat. Illi scri-
 cet heroes summa sapientia ac fortitudine prae-
 ti, quam immutati sunt alter amore mulierculae,
 alter etiam magis beluinis uoluptatibus? Huc ig-
 tur sacrae literae sapientes etiam uiros accersunt,
 et in hanc Academiam uocant, ut discant, non mo-
 do similem in laboribus constantiam praestandam
 esse, sed etiam ut uideant quanta sit infirmitas hu-
 manorum animorum, qui tam facile defatigari
 se patiantur, ut formicae etiam robore animi sum-
 mis uiris praesent. Et has ideo intueri iubet, ut
 cum uiderint tantam uim uilissimae bestiole diuini-
 tatis datam esse, petant & ipsi, expectantq; a
 Deo similem constantiam industriamq;. Sed de
 hoc toto loco, alij rectius dicent.

Exhortatio ad
 sedulitatem.

Vos autem optimi Commilitones, quoniam
 ita iubent sacrae literae, intuemini formicas, &
 cum aliarum uirtutum exempla ab eis petite,
 tum inprimis earum sedulitatem exprimere con-
 tendite. Etenim si uel nulla proposita esset nos-
 bis laboris nostri praemia, tamen quonia deus pre-
 cipit ut laboremus, parere illius uoci debeamus.
 Nunc autem cum etiam tanta praemia proposita sint, quae
 est amentia, tantarum rerum magnitudine non ex-
 citari, aut acui ad laborem? Nil sine magno uita
 labore

labore dedit mortalibus, inquit Poëta. Proinde nolite putare, sine magna animi contentione ulla uita praesidia comparare uos, aut retinere posse. Qua de re cū omnes omnium doctorum uirorum libri pleni sint, et referri hoc genere exhortationum, ego uobis, quoniā propter aetate, uel admonēdos uos, uel ad cohortādos parū autoritatis habeo, recitabo uobis grauiſſimum locum, qui extat in Xenophōte, quemq; se Xenophon ex Prodicī libro transcripſiſſe fatetur. Sunt autem contraria orationes Virtutis & Voluptatis ad Herculem deliberantem, utram uitae uiam ingrediatur, uoluptatis ne, an uirtutis sequatur, sic enim ait.

Cū Hercules ex pueritia egressus, iamq; propè pubertatem esset, qua aetate sui compotes facti adolescentes, significant utram uiam, uirtutis, an ignauiae ingredi uelint, exiit in solum locum, seditq; tacitus secum deliberans, utram uiam iniret. Hic adparuerunt ei duae mulierculae maiores humana specie, quarum altera uultu modesto & liberali erat, nullo peregrino cultu aut fūco ornata, sed genuina bonitatis formae adparebat, in corpore mundities, in oculis pudor, in incessu modestia, uestem praeterea candidam gerens. Altera erat habitior, & fucata, nam & rubor, & candor maior erat natiuo. Et incede
bat

Orationes uirtutis & uoluptatis ad Herculem.

Voluptas.

bat supina, oculos latè pandens, ueste induta, quæ formã maximè cõmendabat, cõttemplans interim se, & circumspiciens, an alij se uiderent, nonnuquã etiam umbram suam respiciens. Postquam autem propius uentum est, illa prior modeste pergebat. Hæc autẽ ut anteuerteret, accurrit ad Herculem, ac inquit: Video te Hercules deliberare uitã uiam ad uitã agendam ingrediaris: Quod si me tibi adiunxeris, ducam te iucundissima et facillima. Nulla res iucunda est, qua nõ poteris, & molestiam nullã perpetieris. Neq; enim aut bella, aut alia grauiã negocia curabis, sed hoc unum cogitabis ac quæres, ubi aut cibum aut potum suauiorẽ inuenias, aut quod delectet oculos, aut unde olfaciendo, aut tangendo aliquam uoluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo mollissimè cubes, & quomodo hæc omnia sine aliquo labore consequaris. Et si quis inciderit metus egestatis, nõ est quod timeas me tibi aliquid laboris impositurã esse, efficiam enim, ut fruaris his, quæ alieno labore parta sunt in præoptu. Nec ullare abstinerebis, unde modo speres te aliquã uoluptatẽ posse lucrifacere: Ego enim meis sodalibus potestatem facio, ex omnibus rebus uoluptates decerpere. Hæc Hercules audiẽs, inquit: Mulier, quod est tibi nomẽ? Tũ illa: Mei sodales uocãt me Fallaciam.

citatem. Qui me aspernātur, uocant me Ignauā.

Interea accessit et altera mulier, dixitq;: Venio Virtus.
 et ego ad te adolescens: Noui autem tū generosos
 parentes tuos, et indolē educationemq; tuā: Hęc
 mihi spē faciunt, fore, ut si me secutus fueris, ma-
 gnas et honestas res geras, et me multò clariorem
 apud homines efficias. Nec longa te praefatione,
 quę ad uoluptatē fingi solet, morabor, sed simpli-
 citer id quod res est, uereq; narrabo, quod Dij cō-
 stituerunt. Nulla uera bona, sine labore curaq;
 mortalibus Dij dederūt. Sed siue Deos tibi uis es-
 se propicios, placādi sunt: siue ab alijs diligis uis,
 beneficijs adiūgendī sunt: siue honore adfici à ciui-
 bus cupis, bene mereri te de patria oportet: siue
 uis in admiratione esse apud omnes Gręcos, bene
 factis id te cōsequi oportet: siue uis ut terra pari-
 at tibi fruges, colēda est: siue ex pecudibus ditescere
 uis, pascendę sunt. Siue bello opes tuas augere
 uoles, ut socios in libertatem adseras, et inimicos
 in seruitutem redigas, belli artes discendę sunt ab
 his, qui eas norūt, et exercēda, ut quomodo eis utē-
 dum sit, scias: Si robur corporis uis cōfirmare, cō-
 suefaciendum est, ut rationi obediat, et exercendū
 magno labore ac sudore. Quod cū dixisset uirtus,
 interpellat eā ignauia, inquiens: Vides Hercules,
 quām asperā et longā uiam ad fœlicitatem hęc ti-
 bi mu-

bi mulier ostendat, quo ego tibi compendiarium
 & planam uiam monstraui: Tum uirtus: O misera,
 dic nunquid habeas boni, et nunquid suauem
 quam cognoueris? quæ nullum laborem uis illor-
 rum consequendorum causa suscipere. Et ne quide-
 dem expectas naturale desiderium suauium re-
 rum, sed antequam natura expetat eas, implet atque
 obruis te, edis priusquam esuris, bibis antequam si-
 tis, condimenta uaria ad irritandam famem excogitas,
 uina preciosa, ut inuites sitim, cõparas, in astra
 te niuem quæris? Et ut suauiter dormias, non modo
 mollia strata, sed etiã lectos facis, somnũ enim
 accersis, nõ ut per laboris interualla quiescas, sed
 inopia negocij, sine pudore ac legum metu amoris
 operam das, nocte abuteris, & optimam diei par-
 te somno perdis. Et cum Deã te esse glorieris, ex
 Deorum numero eiecta es, aspernãtur te et honesti
 homines. Neque unquam suauissimum carmen, tuas
 laudes audiuisti. Et pulcherrimum spectaculum
 nunquam uidisti: Nullum enim unquam recte factum
 tuum spectasti, Quis tibi improba credit? quis
 egenti dabit aliquid? Quis sane mētis in tuo
 choro esse uelit? ubi iuuenes imbecilli corpore
 sunt, senes fatui, qui cū adolescentiã in ocio per-
 derint, senectutem miserã & calamitosam agunt.
 Tunc & pudet antea uitã, & piget primum
 querri

querere necessaria etati subsidia. Suauia in adole-
scentia ante tepus præcepserunt, laborem et æri-
mnas in eam etatem distulerunt. Ego uerò apud
Deos uersor, et apud honestos homines. Nullū ho-
nestum facinus, neq; Dii neq; homines sine me fa-
ciunt, ideoq; me et Dii et homines honore adfici-
unt. Grata sum opiculatrix artificū, fida custos fa-
milie dominorum, beneuola adiutrix seruorum,
iucunda comes laborum in pace, firma periculo-
rum in bello auxiliatrix, optima amicitiæ socia.
Et mei amici suauis uoluptates sine fastidio perci-
piunt ex cibo et potu, expectāt enim illorū natur-
rale desiderium. Somnus etiā suauior eis est, quā
ociosis, quem etiam cum opus est, sine molestia ab-
rumpunt, nec propter hunc, necessaria intermit-
tunt. Et iuuenes senum laudibus gaudent, et senes
delectantur iuuenum honoribus, et incredibili uo-
luptate rerum à se gestarum meminerunt. Et sine
difficultate præsentis labores conficiunt, per me
Dijs chari, amicis, chari patriæ. Et cum ex hac uī-
ta discedendum est, non obscuro aut ignoti iacent,
sed laudes eorum perpetuò à posteris prædican-
tur. Hæc tibi ò fili bonorum parentum Hercules
contingent, & ueram sclicitatem stabilemq; ita
consequeris, si laborem non desugies.

Sic uirtus apud Xenophontem cõcionatur, et

ad

ad labores suscipiendos, nō tātum Herculem, sed omnes adolescentes, uerissima grauisimāq; uocē hortatur. Qua oportuit aures uestras undiq; circūsonare, et inertes animos tanquā classici excitari. Atq; hanc ipsam uirtutis orationē diuinitus in formicis scriptā putate, quas quoties uidebitis, ueniat in mentem hāc uobis imaginem, que uos ad laborem incitet, in terris à Deo propositā esse. Et sicut comœdia exhibentur, ut in illis exemplis discamus, quid in uita deceat: Ita Deus in hererum natura uaria spectacula fecit, que nos officij nostri cōmonerent. Proinde cum formicæ cōuehentes grana, condentesq; in cōmune spectabitis, existimate hanc tanquā Dei uocem esse, que iubet ociū, nocentissimam pestem fugere, et suscipere honestos labores, quibus et nobis ea que in omni uita necessaria sunt, cōparemus, et societati cōmunem hominū iuueamus. Quod si facietis, fauebit uestris illis laboribus Deus, et omnē uitæ cursum fortunabit. Contra eos qui capti amore ocij uoluptatūq;, nō uolent formicā audire, atq; imitari, ad quā à Deo tanquā ad magistros missi sunt, hi sciāt se grauisimas poenas cōtemptæ magistræ, imò cōtempti cœlestis mādati, daturus esse: odit enim ocium Deus, ideoq; non unum calamitatis genus ex odio nascitur. Dixi.